



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 186. Frustranea Friderici Palatini Electoris molimina de Ferdinando ab Imperii Corona excludendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXXXVI.

Frustranea Friderici Palatini Electoris molimina de Ferdinando ab Imperii corona excludendo.

*Adlxreit.
ann. Boici
l. c. n. 7.
Calmet Hist.
Univ. l. 150.*

Haud incognitum erat Protestantibus, quod Mathias unacum Ferdinando Archiduce, & Maximiliano Fratre suo Dresdam, & inde Monachium iter eo sine suscepissent, ut tam Saxoniae Electorem, quam Maximilianum Bavariae Ducem eo inclinarent, quatenus Ferdinando Imperatoriam quoque coronam deferri, suo etiam suffragio niterentur. Æqua utrique videbatur Cæsaris petitio, quam potissimum Ferdinandi probitas, prudentia, fortitudo, ceteraque mentis ornamenta, quæ tantum Principem decent, commendabant. Angebat autem præconcepta hæc Ferdinandi electio præcipue Fridericum Palatinum unionis Protestanticæ Caput, Ducemque; verebatur enim, ne qua Protestantium unitorum consiliis per hanc successionem, ac Principis apprime pii, inque paucis Catholici electionem obex poneretur: cum vero Saxoniae Electorem a concepto in Ferdinandum affectu avertere desperaret, alium saltem æmulum eidem

dem opponere decrevit, nil intentatum, Sæc. XVII. A. C. 1617.
 inaufumque relinquens, ut Moguntinum & Brandenburgicum Electores a
 Ferdinandi electione alienos redderet, eisque Maximilianum Bavarix Ducem,
 si de electione Regis Romanorum ageretur, Ferdinando Austriaco præferendum suaderet. Attamen Fridericum ad hoc consilium non impellebat benefica in Maximilianum voluntas, sed odium in Imperatorem, & Ferdinandum, Ann. Politic. de Wilhelm pag. 450. Blanc. Hist. de Bavier. tom. 4.
 quem nec Cæsarem volebat, nec Regem Bohemix pati poterat; incitabat quoque spes, dissensione Ferdinandum inter & Maximilianum inde suscitata, neutrum fore Protestantium viribus æqualem, inferiorem utrumque, proin Maximilianum, ut æmulo suo par esset, ad A catholicorum opem implorandam redactum, & eo ipso coactum iri, ut ipsis, utpote quibus Imperii fastigium in acceptis referre teneretur, quicquid ab eo peterent, liberaliter indulgeret. Hujus igitur spei amplitudine incitatus Fridericus Elector, vertente jam hyeme Monachii Maximilianum Ducem adit, eique Imperatoriam dignitatem ultro offert, subdole etiam promisso Electorum Moguntini & Brandenburgici suffragio. Suspecta erat Maximiliano Principi prudentissimo tam subita Friderici amicitia: igitur gratiis pro tam benevola in

Sæc. XVII. se mente actis oblationem sibi factam
A. C. 1617. allatis multis rationibus rejecit, suavit-
 que saniora, addens, *hoc sibi præstabi-*
lius videri, ut omnes sua sorte contenti,
redeant ad avitam Religionis unionem, si-
nantque fata, ordine Divino, & ex hu-
manarum sanctionum præscripto, sceptrum
& diademata dispertiri: de cetero autem
ipse ab ejusmodi consiliis prorsus alienus
esset, eo potissimum Imperii statu, quo Or-
dines ob Religionis dissidia, abjecto parendi
obsequio, in privatas factiones abirent.
 Hac repulsa Fridericus se sua spe de-
 jectum dolens, exarsit in odium eo
 acrius, quo diutius illud dissimulabat,
 sperans, fore tandem, ut Maximilia-
 num, quem per se non poterat, per
 Legatos in suas partes pertracturus
 esset; ipse vero interim Ferdinandum,
 quia Catholicum, & potentem, ab Im-
 perio arcendi cupiditate accensus, de
 Daniæ Rege, postea de Mauritio Nas-
 sovio, & tandem Sabaudia Duce ad
 Imperii fasces vocandis serio cogitabat,
 ut referunt Annales: nec id mirum;
 inducebatur enim Princeps adhuc ju-
 venis, rerumque experientia necdum
 subactus in ejusmodi consilia a perversis
 suis Consultoribus, & præcipue a Scul-
 teto & Ludovico Camerario, quorum
 suafu suam fortunam denique penitus
 evertit. Hæc Friderici molimina Cæ-
 sare

farem minime latebant, unde ut Ferdinandum adversus hostes suos magis firmaret, de eodem in Hungariæ Regem eligendo agere constituit, prout anno sequenti memorabimus.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXXXVII.

*Novesienses Protestantes in Silesia
adversus Wratislaviensium
Episcopum tumultuantes.*

Sub idem tempus concitata est in Silesia a Protestantibus quædam contentio adversus Carolum Austriæ Ducem & Wratislaviensem Brixiensemque Episcopum; Hic enim, cum Novesientes cives eundem gravibus verborum contumeliis atque injuriis identidem laceſſere non dubitarent, ex iis duos in captivitatem abduci, atque alium capite plecti jussit. Exinde Silesiæ Principes mox sectam suam turbari vociferantes horum rebellium patrocinium susceperunt. Cum ergo Episcopus reprimendis Novesiensium insultibus impar esset, datis ad Sigismundum Poloniæ Regem literis atroces, quibus a seditiosis suis subditis affectus esset, injurias exposuit, declarans, quod hi eo processerint contumaciæ, ut omni denegata sibi obedientia, tam indigna adversus ipsum attentarint, quæ ne infimæ quidem fortis

*Merc. Gal-
lob. tom. II.
lib. 3. relat.
Hist. Mer-
cer. p. 67.*